DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

1184 b 9
7

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PODAGRA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS FARRELL,

HIBERNUS;

SOCIET. HIB. MED. EDIN. SOC. EXTR. ATQUE PRÆS. ANN.

Non jubeo ut pauper ſis. Si vis ſanus eſſe, vive ut pauper. Latens aurum in arcula animo tantum nocet, victus delicatior et animo nocet et corpore, proinde ſi pellere vis Podagram, pelle delicias.

PETRARCH. FAM. EPIST. Lib. iii. Epiſt. 13.

Ad diem 25 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1798.

4 3
10. 10.
257.

ROGERO O'FARRELL,

DE LISARD,

IN COMITATU LONGFORDIENSI;

ARMIGERO,

NECNON

GERALDO O'FARRELL,

DUBLINII;

JURIS CONSULTO,

ARMIGERO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

OB MULTA IN SE SUOSQUE COLLATA,

AMICITIÆ DOCUMENTA,

GRATO ANIMO SEMPER REMINISCENDA,

SUMMA OBSERVANTIA,

DICAT

AUCTOR.

Cujus rei non eſt certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non poteſt. Verumque eſt ad ipſam curandi rationem nihil plus conferre quam experientiam,

CELSUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

AUCTORE CAROLO FARRELL.

INTER hos morbos, qui vitæ ſolamina exacerbant, tandemque ipſum vitale principium radicitus exterminant, haud immerito locum tenet Podagra; ideoque non mirandum eſt, quod ei attentionem valde ſedulam impenderint medici eruditiſſimi: Attamen cauſa et natura hujus morbi, variis opinionibus quæ diverſis temporibus prolatæ fuere, licet ingenioſiſſime quidem excogitatis, nondum ad planam rectamque rationem redacta ſunt. Tyronis eſt

igitur, diffidentia qua decet, re tantis tenebris cooperta ſeipſum implicare: Cum vero leges hujus almæ academiæ celeberrimæ omnium, unumquemque ejus alumnum, aliquot ingenii, et notitiæ artis Hippocraticæ documenta in medium proferre, poſtulant, antequam ſummos in medicina honores ambire poſſit, quædam de hoc morbo, quam breviſſime potero, dicere decrevi.

Quo tempore, Podagra apud genus humanum primum impetum fecit, nunc non in animo eſt ſtatuere. Satis certum eſt hoc malum Græcis innotuiſſe, nam de eo mentionem facit Hippocrates, neque calamum mordacem Luciani præteribat; nequaquam illis autem temporibus tam latas explicavit alas, quam poſtea inter Romanos, ut ex Celſi, Senecæ, aliorumque ſcriptis concludere licet.

Dum homo vitam ſimplicem et agreſtem agebat, nec animo negotiis diſtricto, nec corpore luxuria ac intemperantia pravato, veriſimile eſt, eum ſummis doloribus hujus morbi

nunquam

nunquam premi; verum ſimul ac luxus, terræ mariſque vaſtatrix, cum caterva malorum, quæ ſemet iſti nunquam non comites adjungunt, ingruit; ubi non conſilio mitigandi ſed ſuſcitandi famem cibus cœpit quæri, et inventæ fuere omnigenæ condituræ, quibus nova ingerendi cupiditas quomodocunque excitaretur; ubique pro labore, homines otio ac deſidia tempus trivere; ſimul cum vitæ ratione, corporis habitus immutatus fuit. Inde inſuperabiles morborum cohortes genitæ ſunt, quorum infelicia ſemina miſeris poſteris tradita fuere. In ſententiam, ut exhinc originem duxerit Podagra, haud mihi religio eſt pedibus ire. Huicce vero opinioni pondus addere, non alienum erit adnotare, homines humilis ſortis labore quotidiano aut tellure colenda occupatos, qui vitam parce ac dúriter agunt, hoc morbo rariſſime vexari. Dum divites, qui voluptatibus tantum parent, quique lautis epulis, magiſquam corporis ſaluti conſulunt, in curriculum vitæ angoribus obſitæ, a

diris ejus cruciatibus minima quidem remiſſione fruuntur.

Homo revera temperantiam parvi pretii exiſtimans, plurima mala ſibi intulit, et ob intemperantiam quam magnas dat pœnas! Dum prima ætate viget, luxuria effræna atque voluptatibus intempeſtivis diffluit; immemor, heu! quot morbi ſolutos turmatim excipiunt mores. Tandem proſpicit temeritatem, ac pœnitet facti, ſed ſero, ah! nimis ſero; deſcenſus enim facilis, ſed revocare gradum, hic labor, hoc opus. Compage corporis diruta, juventute feneſcit, atque maturo ævo lecto affixus tabeſcit, vitam agens ſolatii expertem; nec opes, irritamenta malorum, facultatem ad pedes ſeſe ſuſcitandi ſubminiſtrant;

——————ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Ab omnibus, qui morbum de quo nunc agimus, depinxerunt, facile palmam præripit Cul-

LENUS admodum venerandus; cujus definitionem præcellentem inſerere volo.

" Morbus hæreditarius, oriens ſine cauſa externa evidente, ſed præeunte plerumque ventriculi affectione inſolita, pyrexia, dolor ad articulum, et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum juncturis, potiſſimum infeſtus: Per intervalla revertens, et ſæpe cum ventriculi vel aliarum partium internarum affectionibus alternans."

HISTORIA MORBI.

AUCTORIBUS haud parvi nominis certiores facti ſumus, Podagræ tentationes certis anni tempeſtatibus limitari. Sydenhamus ſolertiſſimus affirmat, quod ſub Januarii finem aut Februarii initium, tempus ſit, ab arthriticis timendum. Cum primum laceſſat, res ita ſe habeat; ſed poſtquam aliquamdiu ſæviit, incertis adoritur periodis, ut experientia docet. Utrumque

que ſexum aggreditur Podagra, virilem vero potiſſimum; omnes huic una voce conſentiunt. Tempore Hippocratis venerabilis, muliebris moribus pollutis haud inquinatus, a vi ejus dolentiſſima ſoſpes extitit; labentibus vero annis, feminæ circa menſæ delicias nimis indulgentes, omnique licentiæ modo diffluentes, pedibus ægræ evadebant. Seneca, Podagræ frequentiam inter feminas Romanas, intemperantiæ et deſidiæ, quæ eo tempore maxime vigebant, jure attribuit. Hujuſce ſexus eas, quæ habitum corporis maſculinum æmulari videntur, potiſſimum infeſtat. Ex obſervationibus medicorum eruditiſſimorum, omnique fide dignorum, conſtat, feminas ex ſtirpe arthritica natas, magis affectionibus nephriticis, quam prolem maſculinam ejuſdem ſtirpis, obnoxias eſſe. Ii, qui temperamento ex ſanguineo et cholerico compoſito prædiți ſunt, quorum corpus nimio ſanguine abundat, quique robuſto habitu corporis, rete mucoſo craſſo, grandique capite inſtruuntur, Podagra maxime plectuntur. Sæ-

vitiam vero in miſeros mortales raro prius incipit exercere, quam annum ætatis trigeſimum quintum attigerunt; indicia tamen non deſunt exortus gradu ætatis maturiori, in iis ſpecialiter, quibus labes hæreditaria tantum non inſuperabilis pollet, vel in iis, qui voluptatibus ardenter inſerviendo eam præmaturius accerſivere. Quandocunque juvenili ætate ſeſe prodit, multo plus doloris afferre, atque temporibus multo minus inſtabilibus aggreſſus ſuos repetere ſolet, quam cum ad ſenectutem uſque delituerit. Obſervatio notatu apprime digna a GREGORIO clariſſimo patre Profeſſoris noſtri (filii tali patre digniſſimi), facta fuit; nempe huncce morbum, ſicubi mature admodum in vita ſeſe manifeſtaverit, circiter annum ætatis quinquageſimum nonnunquam omnino decedere.

Ante CULLENUM, ſcriptores medici Podagram quamlibetcunque formam induentem in regularem et irregularem diviſere; hanc vero accuratiſſimus ille noſologus iterum in tres varietates ſubdiviſit, atonicam ſcilicet, retrogradam,

et

et aberrantem. De his ordine modo comprehenſo, ſigillatim tractare pro virili conabor.

DE REGULARI.

Definitio.—" Podagra cum inflammatione artuum ſatis vehementi, per aliquot dies perſtante, et paulatim cum tumore, pruritu, et deſquamatione partis recedente."

Hæc derepente nonnunquam invadit, nullis indiciis adventum ejus prægreſſis, plerumque autem ſymptomata varia antecedunt; veluti ſudor e pedibus profluere aſſuetus, ſuppreſſus, ſuccedente ſimul crurum ac pedum frigore inſolito; inferiorum membrorum torpor, cum ſenſu quaſi alicujus pungentis, flatuſve per eadem deſcendentis, alternans; necnon muſculi crurum crebro ſpaſmis corripiuntur; atque venæ ibidem more inuſitato turgeſcunt. Corpus ſenſu languoris et gravitatis afficitur; functiones ventriculi, inter quem cæteraſque corporis partes

partes mirus intercedit nexus, per aliquot dies, fortaſſe hebdomadas, ante paroxyſmum, plurimum turbantur. Signa jam enumerata, priuſquam propria forma ſupervenerit paroxyſmus, per aliquot dies inſtant; ſed pridie acceſſus, appetentia cibi non ſolum non reſtauratur, ſed etiam præter naturam augetur; et vir bonus Van Swieten, appetitum venereum nonnunquam inſigniter acrem fieri, imminente paroxyſmo, memoriæ tradidit. Rebus ita ſe habentibus, paroxyſmus, adveſperaſcente die, interdum ægrum corripit; multo autem crebrius is placide ſomni brachiis ſeſe committit; vana ſpe jucunda nocte gaviſurum, omniaque poſtero die bene eventura, lætatus; ſed nox tota requie nondum peracta eſt, cum ob dolorem, qualis ex junctura luxata proficiſcitur, in aliqua pedis parte, plerumque pedis pollice, ſub mediam noctem, aut, ut ſæpiſſime accidit, horam ſecundam matutinam, ſubito expergiſcitur. Exempla nobis tamen ſuperſunt, ubi genua vel alii majores articuli, nulla pedum affectione

præeunte aut comitante, primo tentabantur. Mox excipiunt rigor et horror totius corporis; pro rata parte autem ac dolor augeſcit, hæc ſigna decreſcunt, aliæque notæ pyrexiæ ſubeunt, quæ perſtant quamdiu dolor manet. Primo non valde acutus eſt dolor, ſed gradatim adeo vehemens fit, ut tandem vix aut ne vix quidem tolerabilis evadat. Ægrotus in hoc ſtatu ærumnoſo acerrimis doloris morſibus angitur; nunc ſenſus eſt compreſſionis, nunc dilacerationis, ſæpe quaſi pars canibus roderetur, vel tanquam aqua fervida inter juncturas affunderetur. Ad hæc, ſtragulorum pondus, leviſſimuſve digiti tactus ærumnas ingraveſcit. Irrequieta partis affectæ hac illac rotatione, ac corporis jactatione, dolorem mitigare commiſerandus incaſſum petit; cæterum prius levamen optatum haud adipiſcitur, quam horæ viginti quatuor luctuoſæ prorſus elapſæ fuerint. Jam ſubito dolore reſpirat, et lenis ſudor per totum corpus, præſertim partes dolentes, emanat, quæ mollem ſuadent ſomnum; ex quo evigilans,

evigilans, partem affectam rubram et tumefactam proxima luce cernit, sed post aliquot dies speciem pristinam et colorem recuperat. Quanquam diminuitur nunc dolor violentus, non penitus definit, nam de die in diem, fortasse ad biduum triduumve, sub vesperam renovatur, vixque ante galli cantum levatur. Tandem omnia morbi symptomata discedunt, atque cibi desiderium, cum viribus et animi et corporis auctis redit. Intervallum primam inter et secundam accessionem admodum variat; nonnulli induciarum aliquot annos potiuntur, sed, ut plurimum, post unum alterumve aggressum morbus quotannis regreditur, posteaque bis singulis annis. Quo frequentius paroxysmi revisunt, eo breviora intervalla fieri observantur, adeo ut progressu temporis, æger miserandus cruciatibus ejus vix, aut ne vix quidem, immunis sit. Morbo recente, alter tantum pes plerumque laborat, provectiore vero, dolor ad alterum migrat, ubi paululum commoratus, ut idem remetiatur iter, sæpe periclitatur. Nec solum

ab uno ad alterum pedem ſedem mutat, ſed crebro ad alia membra, præſertim ſi æger infirmus ſit, vel ſæpe tortus fuerit paroxyſmis Podagræ. Aliquando duos ſimul invadit articulos, ſed plerumque unum ſolummodo lancinat. Inter paroxyſmum, cibi faſtidium valet, alvus aſtricta eſt, et urina ſedimentum arenoſum deponit. Dum paroxyſmus decedit, pruritus vix tolerabilis pedem affectum præcipue inter digitos corripit; epidermis mox deſquamatur, atque partes ex inflammatione adeo imbecilles ſunt, ut æger, per aliquot dies, vel fortaſſe hebdomadas, firmare greſſus haud valeat. Commoratio paroxyſmi, qui ex multorum minorum ſerie conſtat, pro ægri ætate et ſanitate, atque impetuum numero quos antea ſuſtinuerat, diuturnior breviorve erit. In hominibus viribus corporis et ætate florenti præditis, curſum ejus plerumque abſolvit dierum quatuordecim ſpatio; ſenioribus autem vel iis, qui reiteratis morbi tentationibus fractiores ſunt, nunquam ſincere valedicit, niſi per breve ſpatium in æſ-

tate

tate adulta. Cum morbus inveteraverit, quanquam omnia jam deſcripta indicia fugaverat æſtas, monumentum naturæ pernicioſæ in artubus perenne relinquere non deficit. Hi enim debiles et rigidi permanent, et tandem prorſus immobiles fiunt. Circa eos, materies cretacea primo ſub forma fluida depoſita, et poſtea dureſcens, ad motum eorum inhibendum haud parum confert. Illi qui plures annos Podagra laboravere, in affectiones nephriticas, quæ cum paroxyſmis Podagræ alternant, illabi obnoxii ſunt.

In hoc morbo, homo ab animo æque ac corpore æger eſt, et haud facile eſt dictu utro horum crudelius dilaniatur. Excors et meticuloſus evadit, utut lepidus ac placidus in valetudine ſecunda, nunc aſper et iracundus eſt. Omnis, quam leviſſima, venti ſpiratio, omniſque quantuluſcunque ſonus, ut ſtatim exæſtuet ira committit.

DE

DE ATONICA.

Definitio.—" Podagra cum ventriculi vel alius partis internæ atonia, et vel ſine expectata aut ſolita artuum inflammatione, vel cum doloribus artuum lenibus tantum et fugacibus, et cum dyſpepſia vel aliis atoniæ ſymptomatis, ſubito ſæpe alternantibus."

In hac Podagræ varietate, ſigna inter ſeſe admodum differentia, pro partibus, nimirum, quæ tentantur, et jam enarratis omnino diſſimilia, ſed haudquaquam felicioris ominis, obſervantur. Si ventriculus afficiatur, ſolita ſigna ſunt, anorexia, ructus acidi, vomitus aliaque dyſpepſiæ indicia. Nonnunquam trunci corporis, et extremitatum ſuperiorum ſpaſmi, expulſione flatus e ventriculo ut plurimum levati ſymptomata modo poſita comitantur. Alvus plerumque aſtricta eſt; interdum vero diarrhœa cum doloribus colicis urget. Si viſcera thoracis

cis occuparit, ſigna haud minus moleſta, et multo magis periculoſa ſemet oſtendunt: Si cor, vel palpitatio, vel leipothymia; ſi pulmonem, aſthma, vel dyſpnœa. Si caput corripuerit, cephalalgiam, paralyſin, apoplexiamve movere ſolet.

DE RETROGRADA.

Definitio.—" Podagra cum inflammatione artuum ſubito recedente, et ventriculi, vel alius partis internæ, atonia mox inſecuta."

Hæc morbi varietas, cura idonea modo impenſa, facile dignoſci poteſt; nam, ſub initio, Podagræ regularis formam induit, ſed gradum doloris et inflammationis, qui hanc comitatur, raro aſſequitur; neque ſigna inflammationis gradatim decedunt, ſed ſubito evaneſcunt, dum aliqua pars interna mox afficitur. Ad ventriculum, ut plurimum, ſedem mutat; hoc eveniſſe teſtantur ſigna ſummum diſcrimen indicantia,

dicantia, qualia, anxietas, vomitio, atque dolor violentiſſimus ſtomachi. In pulmones, et cor, aliquando ingruit. Quandoque etiam in caput citiſſimo pede irruit, effectuſque periculo repletos ſubito edit. Apoplexia plerumque ſubſequitur, quæ tali ſtatu luctuoſo præſagium raro fallens mortis præſtat atræ. Gregorius noſter, illud medicinæ decus, quædam exempla Podagra laborantium, quibus ſubitaneo morbi in caput lapſu, pertenue vitæ filum puncto temporis perſciſſum fuit, memorat.

DE ABERRANTE.

Definitio.—" Podagra cum partis internæ inflammatione, vel non prægreſſa, vel prægreſſa, et ſubito recedente, inflammatione artuum."

Parum facultatis, indolem Podagræ ſub hac forma animadvertendi, hodiernis medicis oblatum fuit. Cullenus, qui medicinam tam late feliciterque exercuit, hanc varietatem ſibi ipſi nunquam

nunquam occurrere plane profitetur; unumque ſolummodo exemplum hujuſmodi GREGORIO teſtari contigit. Hæc varietas, ut plerique auctores volunt, ad pulmones imprimis vergit, in quibus inflammationem pneumonicam excitat. CULLENUS, utrum necne affectus veſicæ urinariæ, et recti, qui in arthriticis apparent, Podagræ retrocedenti, vel aberranti referri debeant, addubitare videtur.

CAUSÆ.

APUD ſcriptores uſitatum eſt, cauſas remotas hujus morbi in prædiſponentes et occaſionales dividere. Quæ ad primum genus attinent, antea leviter attigi; ſat erit igitur hic ſubjicere, quod labes hæreditaria cauſa præcipua ſit, quæ proclivitatem ad hunc morbum facit. Qua autem ratione hic corporis habitus a parentibus ad prolem tranſmittitur, quaque ex origine pullulat, ſive ex propria conformatione qua

ſoboles proſapiam referunt, an ex quolibet alio fonte, admodum difficile eſt expoſitu. Hoc tam denſa altaque caligine cooperitur, ut verear, quod in apricum non proferet ætas; nam, ut ait bonus Lucretius,

> " Multa ſacro tegit involucro natura, nec ullis
> Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia; multa
> Admirari modo necnon venerari."

Cauſæ excitantes ſub duobus capitibus comprehendi poſſunt. Primo, Omnia quæ corpus plenum reddunt. Secundo, Ea quæ debilitatem conditione corporis plethorica progignunt. Ad primum caput relegari ſolent, vita otioſa et ſedentaria, ratio victus plena et luxurioſa, uſus præſertim cibi animalis immodicus, vini aliorumque liquorum fermentatorum perpotatio, et evacuationes ſolitæ ſubito ſuppreſſæ. Ad ſecundum referri poſſunt, venus præmatura vel immodica, quæ ſtatum corporis torpidum, animique conditionem idoneæ exercitationis negligentem inducere, vireſque totius compagis inſigniter ſolvere conſueſcit; potatio liquorum meraciorum

meraciorum nimis larga; alimentorum concoctu difficilium, et condimentorum uſus nimius; pervigilium; exinanitiones profuſæ; derelictio exercitii vel laboris ſoliti; mutatio ſubita a plena ad parcam diætam; acidorum et aceſcentium uſus repetitus; intenſa nimiſque aſſidua ad literas applicatio; et denique, animi affectiones deprimentes. Ex cauſis jam enumeratis conſtaret, adagium, " Bacchus pater, Venus mater, ira obſtetrix," hunc morbum apte reſpicere. Nonnullæ ex his cauſis totum videntur convellere corpus; aliæ autem ventriculum tantum afficiunt, et ſtatum atonicum ejuſdem inducunt. Inter cauſas occaſionales quoque enumerari poſſunt, ambulatio nimia, frigus pedibus admotum, tendinum intentiones, aliæque injuriæ externæ illis oblatæ. Quis podagricus neſcit, quam inimica ſunt pedibus calceamina conſtricta? Quibus nihil certius Podagræ paroxyſmum arceſſit.

DIAGNOSIS.

Neminem, qui vel primoribus labris medicinam deguſtavit, quanti ſit, morbos a ſe invicem juſte diſcernere, lateat: Paucis equidem hallucinatio tam pernicioſa eſſet, quam morbo de quo nunc diſceptatur. Quanquam non multi ſunt morbi, quos Podagra refert, his autem tanta cum ea ſignorum quorundam communitas eſt, ut prudentia in diagnoſi formanda opus ſit. Inter rheumatiſmum et regularem ejus formam maxima intercedit ſimilitudo; et ſæpe clinico haud facile eſt, inter hos morbos diſcrimen facere. Attamen ſatis apte internoſcantur, ſi ſedulo utriuſque hiſtoriæ animum attendamus. Acceſſum Podagræ plerumque prægrediuntur, anorexia, nauſea, variaque dyſpepſiæ indicia; homines ætate provectos, vitam ſedentariam et inertem degentes, ut plurimum, invadit; articulos extremorum, ut manuum pedumve

pedumve digitis proprios, occupat, et uni tantum juncturæ plerumque insidet. Contra, rheumatismi insultum nulla dyspepsiæ signa antecedunt; vegetos, actuosos, et ætate juvenili gaudentes adoritur; humeros, genua, et reliquos majores articulos corripit, et nulla certa parte circumscribitur. Podagra genus masculinum, rheumatismus femininum potissimum premit. Dolores, qui Podagram, quam qui rheumatismum comitantur, ut sedem suam mutent, multo minus apti sunt; et cum in priore exemplo mutationem loci subeant, articulum ex adverso latere respondentem, aut quoddam organum in cavo reconditum, petunt. Podagra leges sibi ponit, ac certo temporis intervallo elapso, revisit: Dum rheumatismus haudquaquam statis periodis redit. Podagra sæpe originem ducit a vitio congenito; sed rheumatismus labem hæreditariam haud agnoscit pro causa, et frigori, ut causæ communi, referri potest. His rite perpensis, hos morbos dijudicare haud difficile erit; in irregularibus autem

Podagræ

Podagræ formis, ſigna tam abſtruſa occurrunt, ut juſtam diagnoſin ſtabilire perdifficile ſit; et revera, compluria quæ ſemet oſtendunt, maximam, ad naturam eorum penitus cognoſcendam, attentionem poſtulant. Ne in errorem divertamus, omne auxilium lumenque noſtrum, ex ſedula attentione ad res quæ impetum prægreſſæ ſunt, atque ex cognitione corporis habitus ægri, et naturæ morborum quibus antea obnoxius erat, haurienda ſunt.

PROGNOSIS.

Quoniam, uniuſcujuſque medicinam facientis, vera prædicere, magnopere interſit, medicum providum igitur nihil prius de hujus morbi eventu præſagire oportet, quam ſigna quæ bona ſunt, quæ mala, ſecum in animo perpenderit. Res quæ vel ſpem vel timorem injiciunt, ſunt vires et ætas ægroti, morbi progreſſio et cauſæ. Cum Podagra extremita-

tes

tes tantum occupaverit, ægro juveni et alioquin ſano, me judice, fauſtus finis audacter portendi queat. Si vero ætate provectiorem corripuerit, et ſi morbus ſæpe acceſſerit, raro eſt, quamobrem de futura ſalute ſperemus: Attamen ſi formam irregularem ſibi aſſumpſerit, et organo alicui vitali inſederit, minima ſpes equidem affulget.

RATIO MEDENDI.

Conamina indefeſſa medicorum ſeſe acriter incumbentium, ad explicanda phænomena, et rationem medendi ſtabiliendam hoc in morbo, præcipue autem illorum, qui ex ſentiendo vim ejus dolentiſſimam, indagationes conduplicare incitati erant, tam inefficacia fuere, ut Podagra, optimo jure, opprobrium medicorum habeatur. Quamvis autem paululum ſubſidii arthriticus haurire poteſt ex medicamentis pharmacopœo præparatis, attamen alia itinera, quibus

quibus certiſſimum præſidium invenire expectet, ei patefiunt. Nam rationem regiminis idoneam obſervando, et exercitationem corporis aſſiduam adhibendo, ſi non prorſus arcere acceſſiones hujus morbi funeſti, ſaltem multo minus frequentiores, et multo magis mitiores reddere poterit. Ut hæc autem proſpere ſuccedant, opus eſt quod mature incepta ſint, atque per vitæ curriculum religioſe obſervata; namque (ſi verba Sydenhami mutuari liceat) liquet, eum qui hujus morbi curationem molitur, id negotii ſibi dari debere credere, ut totius corporis habitum immutet, atque illud ad priſtinam conſtitutionem refingat, quantum per ætatem et reliquas circumſtantias fieri poſſit.

In curatione Podagræ regularis duo conſilia ineunda ſunt: 1mo, Violentiam paroxyſmorum, cum adſint, temperare, et ſpatium eorundem, quatenus a ſalute ægri non alienum ſit, decurtare. 2do, Per intervalla reditui paroxyſmorum occurrere; vel, ſi hoc fieri nequit, acceſſum eorum procraſtinare.

Primum

Primum consilium absolvere conandum est, omnes irritationes tum animi tum corporis diligenter cavendo. Applicatio frigoris quoque caute evitanda est, quoniam haud raro morbum retrocedentem facit; quanquam regimen antiphlogisticum, quantum ad omnia alia spectat, omnino convenit. Si æger vegetus sit, florente ætate gaudens, et victui opiparo assuetus, ad sanguinis detractionem e brachio, præsertim sub initio morbi, cum fructu decurratur; sed nunquam non memoria tenere oportet, quod caute reiteranda sit; nam nimis liberaliter celebrata pessimos edit effectus. Applicatio hirudinum ad partes affectas plus commodi pollicetur, neque repetitio ejusdem tam perniciosos effectus sibi comites adjungit. Haud abs re erit, inter hirudinum applicationem, partem a frigore munire. Si æger autem ætate grandior sit, et consuetus sæpius ad hilaritatem bibere, et si ventriculus ejus infirmus sit, nonnihil a regimine antiphlogistico digredi, et vinu m atque cibum animalem modica quantitate

 ingerere,

ingerere, licet. Moris communis fuit, vim inflammationis medicamentis evacuantibus compescere; sed talis tractandi modus sæpenumero seria mala inducit. Cathartica, tonum ventriculi debilitando, et totum corpus irritando, semper nociva sunt; quoniam autem piger venter admodum obsit, sedulo vitandus est, et cum alvum subducere necesse sit, hoc optime præstabunt enemata emollientia leniora. Emetica, consilio ventriculi affectiones sublevandi, in usum revocata fuere; cum vero vires ejus evidenter labefactant, admodum dubito si innoxia sint. Jam in superiore hujus dissertationis parte, excretionem materiei pedum perspirabilis suppressam, accessus Podagræ præsagium fuisse, annotavi; itidemque, lenem illum madorem, qui mane sponte prorumpit, vim paroxysmi mitigare. Igitur, natura viam monstrante, sudorifica hoc morbi stadio indicari videntur; ad sudorem vero solicitandum, medicamenta, quæ corpus stimulant atque irritant, haudquaquam conveniunt; potus blandiores, (cujusmodi sunt

decoctum

decoctum hordeaceum, ſeu avenaceum), omnibus aliis diaphoreticis anteferendi ſunt. Narcotica, inter paroxyſmi initium, certum a dolore levamen præbent, verum æger ſpe falſa lactatus, pœnas in poſterum pendit diriſſimas; nam hoc agunt, ut inſequens paroxyſmus, dolorem ſimul adducens haud tolerandum, iter citius revolverit. Nihilo tamen minus ſub finem paroxyſmi, opium, ad ſomnum conciliandum, ægrumque placida quiete focillandum, mire accommodatur. Ut huic conſilio ſatisfiat, multa externa remedia, qualia ſunt, epiſpaſtica, urticarum punctio, combuſtio e moxa, camphora, et cataplaſmata emollientia, commendata fuere. Quæ omnia, hoc morbi ſtadio, e praxi ex toto relegari debent; quamvis enim ab uſu eorum vis doloris reſedetur, mox mala majora ſubſequantur, et æger in vitæ diſcrimen haud obſcure conjiciatur. Ægroto omnino tutum, et ſemper pergratum eſt, calorem partis dolentis conſervare, circumvolvendo eam panno laneo, quod omnibus aliis externis remediis multo

præſtat. Si rigiditas ac tumor articulorum poſt paroxyſmum ſuperfuerint, frictione, ſtrigili, vel hujus vice lanula, conſtanter admota, diſcutienda ſunt.

Nunc diſpiciendum venit, quibus modis ſecundæ, quam inſtituimus, indicationi ſatisfiat. Cum nihil magni in paroxyſmis tentandum ſit, ne hi accidant, ſumma certe ope adnitendum eſt. Mihi perſuaſiſſimum eſt, ſi homines, mature in vita, quum corpus, nondum intemperantia confectum, vigore gaudet, ſanitati ſtuderent, et memoria tenerent, quod non curat pariter capta, et capienda voluptas, hunc morbum illos nunquam vexaturum eſſe, et valetudine integra, temperantiæ optimo præmio, ad ſenectutem uſque fruituros. Maxime autem dolendum eſt, paucos eſſe homines, qui ullam vivendi rationem prima ætate, quantumviſcunque ſaluti eorum conſulat, ſi modo voluptatibus ſuis depravatis adverſetur, per idoneum temporis ſpatium, conſtanti animo proſequentur. Cum etiam Podagra caſtra fixerit, et

fæpenumero

ſæpenumero arma moverit, auctoribus certe gravibus certiores facti ſumus, illam in fugam datam fuiſſe exercitatione et temperantia. Inſigne hujuſmodi exemplum a claro Van Swieten memoratur. " A fide digniſſimis homini-
" bus accepi, pingui ſacerdotio fruentem virum,
" et veteranum jam Podagricum, a piratis cap-
" tum per biennium integrum in triremibus bar-
" barorum remigaſſe, hoc effectu, ut poſtea a
" captivitate redemptus, nimia et moleſta obe-
" ſitate liberatus, nec unquam poſtea Podagra
" correptus fuerit, licet plures annos ſupervix-
" erit." Quoniam exercitatio et victus tenuis, ut dies et experientia docent, hoc in morbo debellando quam plurimum auxilii promittunt, proximum fit, ut pauca de his ſigillatim proferamus.

DE

DE EXERCITATIONE.

Ad tonum toti corpori reddendum, nihil quam exercitatio idonea tam insigni vi pollet; sanguinis motum per minutissima etiam vasa accelerat, secretiones omnes promovet, et cibi concoctionem adjuvat. Ea autem, ætati et viribus ægri, semper accommodari debet: Si juvenis et viribus integer sit, ambulatio sub dio gestationi cujuslibet generis anteponenda est. Cum æger vero, ætate provectior, vel infirmus, sit, equitatio apte respondet; si hac autem uti non liceat, rheda vehatur. Memoria semper tenendum est, exercitationem corporis quomodocunque adhibitam, nisi jugis fuerit, parum suppetiarum afferre consuescere; prætereaque, quod ubicunque quis sedentario inertique vivendi modo sese demandaverit, omne periculum sit, quod, quamprimum exercitatione jamdiu insolita uti incipit, paroxys-

mum

mum arceſſiverit. Igitur ſub initium, lenis exercendi gradus ſuadendus eſt, qui paulatim augeri poteſt. Apprime utile erit occupationem mentis cum exercitatione conjungere; nam, " non verbis opus eſt, ut quiſque qui naturam humanam vel minime intellexerit, probe perſpiciat, exercitationem quamlibet, longe aliter homini eſſe profuturam, quem venatus amor, aut plantarum ſtudium, ducit per campos, et montes, et ſylvas, et littora, indefeſſum a mane ad veſperem uſque, et quem pulchra naturæ facies, et mirabilis ordo, delectat atque exhilarat, ac triſti et miſero ægrotanti, cui nihil aliud coram oculis aut in animo verſatur, quam morbus quo laborat, et periculum et mors quæ credit ſibi inſtare."

DE TEMPERANTIA.

Plerumque, hanc partem curationis ægro capeſſere, et eandem proſequi, admodum grave eſt;

eſt; cum vero cibi nimia quantitas, et prava ejus qualitas, et liquores fermentati, ventriculo tam oppido nocent, votis certe fruſtrabitur, qui curationem poſſe abſolvi abſque ſumma in ratione victus prudentia autumat.

" Nempe inamareſcunt epulæ ſine fine petitæ,
" Illuſique pedes vitioſum ferre recuſant
" Corpus." HOR.

Robuſtis et junioribus, victus tenuis, qualis aptus ſit ad corpus alendum et reficiendum, ſed tantum nutrimenti non præbens, quantum morboſam corporis conditionem inducere periclitaretur, optime accommodatus exiſtit. In hiſce exemplis, diæta ex lacte et frugibus terræ comparata maximo cum fructu adhiberi poteſt. Aqua fontana, qua hodie major hominum pars ſitim levat, potus optimus et ſaluberrimus eſt. Senioribus autem, vel iis, qui genio indulſere, abſtinentia talis haudquaquam opportuna eſt; imo ſæpe admodum periculoſa eſt. His profecto uſu carnis et vini perſtare licet. Multa remedia ex amaris et aromaticis,

conflata

conflata hoc in morbo ſpecifica olim habebantur; ex his pulvis Ducis Portlandiæ (ut vocatur) notiſſimum eſt, ſed omnia hoc genus jure hodiernis neglectui ex toto habentur. Alkali ſub variis formis adhibitum fuit; omnia autem de hoc ſale præparata aquæ alkalinæ aëratæ poſthabenda ſunt: Hæc nuper in morem inducta fuit, et in intervallis paroxyſmorum producendis multum valere reperta fuit. Quoniam tempeſtas æſtiva omnia ſigna Podagræ pellit, haud ſine gravi ratione deduci poſſit, migrationem, appetente bruma, ex hac nubila regione in benignius cœlum, arthriticis remedium gratiſſimum et utiliſſimum fore. His, vero, quos animus non fert, vel iis, quibus rerum non ſuppetit uſus, cœlum mutare, naturæ veſtigia quam arctiſſime perſequendo, veluti ope veſtitus idonei, plurima beneficia æſtatis prolatare, liceat. Ut contra vim frigoris et humiditatis protegantur pedes, maximi momenti eſt; ideoque omnia quæ pedibus quo-

modocunque injuriam faciunt, omni qua poteſt cura evitari debent.

Supra dicta ad Podagræ regularis curationem præſertim ſpectant; cum morbus vero ex artubus deceſſerit, et in magis ſiniſtras vias curſum ejus deflexerit, talibus conſiliis haudquaquam confidere oportet, ſed quam citiſſime ad remedia potentiſſima confugere. In atonica, exercitatio corporis idonea, et omnia quæ ſyſtema corroborant, multum adjuvant. Frigidarium prudenter adhibitum, ad corpus firmandum egregie prodeſſe ſolet; hoc vero in præſcribendo arthriticis, maxima circumſpectione opus eſt. Cibus nutriens permittendus eſt, cum uſu vini Madeirenſis vel Xerenſis, modica quantitate, ſi vinum vero acorem inſolitam in ventriculo progignat, liquores ſpirituoſi vice ejus adhibendi ſunt. In hac varietate Podagræ, amara et aromata, præcipue cortex cinchonæ, valde utilia reperta fuere; in uſu tamen neque horum nec illorum diu perſtetur. Rubigo ferri, in hiſce exemplis, palmam a quolibet alio tonico præripere videtur.

Sub

Sub initio dosibus modicis adhibeatur, quantitas autem ad drachmam, intra spatium viginti quatuor horarum gradatim augeri possit. Quando indicia depravatæ concoctionis urgeant, auctore præclaro docemur emetica exhibere, sed mihi apparet statum atonicum ventriculi semper inducere; ideoque haud sine gravi causa adhiberi debent. Omni fere exemplo melius est primas vias evacuare laxantibus mitioribus. Quandocunque Podagra sub forma retrocedenti sese exhibuerit, et ventriculum tentaverit, vino poculis plenis sumpto, aliisque stimulantibus, quam primum repellere enitendum est. Si hæc non votis satisfecerint, ad usum liquorum spirituosorum decurrendum est, quique dosibus amplis adhibendi sunt. Cum pulmonem corripuerit, antispasmodica, cum epispasticorum pectori et extremitatibus applicatione, in usum revocanda sunt. Si caput impetiverit, tum proculdubio miserandus æger in præcipiti versatur, spes, miserorum solamen, toro procul aufugit, dum frigida mors atris circumvolat alis, animam

a corpore diſſociare cito intentans, niſi veſicatoria capiti et extremitatibus admota, ammonia, aliaque hujuſmodi ſtimulantia in ventriculum ingeſta, vim ejus oppugnare valebunt. In Podagra aberrante, omnibus remediis, quæ inflammationem idiopathicam partis affectæ amovere poſſunt, diligentius uti oportet.

Hactenus, penſo ſenatus academici decretis mihi injuncto perfunctus, jam ſupereſt pars operis longe gratiſſima; nempe, ut palam agnoſcam, me, hujus academiæ profeſſoribus præclaris, viris tam humanitate, quam ſcientia conſpicuis, et ex quorum præceptis puriſſima principia medendi haurire licuit, magna debere; tibi autem, RUTHERFORDI, viro apprime docto, medico atque ſagaciſſimo, ſolertiſſimo, tibique, GREGORI, viro probitate, non minus quam eruditione et ingenio ſpectato, maxima.

FINIS.